



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 39. Sebastiani eminenti Lusitaniæ Regis historia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A. C. 1600.

ac Provinciis Jubilæi gratiam concesserat, admodum tamen parce, & quidem ad eas lucrandas pro Gallis nonnisi primo Aureliam, quo etiam Rex, & Regina peregrinati sunt, & postea Parisinam Urbem designabat, quo innumeri ferme homines e toto Franciæ regno confluebant.

§. XXXIX.

Sebastiani ementiti Lusitaniæ Regis historia.

Erhard. to. 2
Script.
Præd.
Spond. n. 26.

Communis equidem fama ferebat, Sebastianum Lusitaniæ Regem, prælio, quod anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo octavo cum Mauris in Africa infausto Marte confecerat, occubuisse, cum vero corpus ejus nullo unquam tempore reperiri potuerit, nec de certo mortis suæ genere constaret, hinc quidam hujus incertitudinis opportunitate utendum ratus se verum Sebastianum simulare decernebat. Suffragabatur ejus commento ætatis, staturæ, sermonis, vultusque similitudo, necnon exacta arcanarum etiam rerum, quæ genuinus Rex gesserat, notitia: his ergo armis instructus anno post Christum natum millesimo quingentesimo nonagesimo octavo Venetias proficiscebatur, ubi veri Sebastiani dicta, & gesta, necnon secretissimas quasque nego-

Sæcul. XVI.
A.C.1600.

negotiationes cum ipsis etiam Venetis
 habitas tanta integritate commemora-
 bat, ut ii, qui olim Sebastianum Regem
 de facie noverant, hunc impostorem abs
 dubio ipsissimum Regem suum esse affir-
 marent, quos inter etiam Pater Ste-
 phanus de Stampajo patria Ulyssipo-
 nensis Ordinis sancti Dominici Alumnus,
 Vir alioquin æque probus, ac doctus, e
 Francia clam Venetias veritatis com-
 probandæ gratia profectus, hunc genui-
 num esse Sebastianum tam firmiter sibi
 persuasum habebat, ut in Lusitaniam re-
 versus apud Proceres feliciter, caute
 tamen, ementiti hujus Sebastiani rem
 ageret: hujus vero fabulæ fama ad
 Philippum III. Hispaniæ Regem delata
 per Oratorem suum Venetiarum Sena-
 tum rogabat, ut redivivus hic Sebastia-
 nus carceri manciparetur, ne forte Lu-
 sitani ad recuperandum regnum antea
 Antonio Notho ereptum animum ad-
 jicerent: igitur custodiæ datur hic frau-
 dum Architectus: ast coram Judicibus
 interrogatus absque hæsitacione respon-
 debat, quod prælio captus non sine lu-
 culento divinæ potentiæ prodigio liberta-
 tem recuperarit: ob leviter tamen susce-
 ptam belli expeditionem in regnum
 redire erubescens per plures annos i-
 gnotus varias Asiæ, & Africæ regiones
 peragravit, variisque ærumnis, at-
 que

Hist. Eccles. Tom. LII.

R x

que

Sæcul. XVI.
A.C. 1600.

que incommodis confectus subnigrum
 faciei colorem induerit, nunc vero in
 Europam redire, necnon Lusitanæ Re-
 gnum a Philippo repetere statuerit. Sub
 idem tempus Pater Stephanus Domi-
 nicanus Venetias reversus pro Sebastia-
 ni libertate apud Senatum tam in-
 defesso studio laborabat, ut ad Henrici
 IV. Regis, & Elisabethæ Anglorum Re-
 ginæ preces, necnon Foederatorum Bel-
 gii Ordinum, aliorumque commenda-
 tionem Veneti hunc supposititium Re-
 gem die decima quinta Decembris li-
 berum dimitterent, ea tamen lege, ut
 eodem adhuc die Venetiis, intra tri-
 dui vero spatium tota ditione excede-
 ret: postquam autem in Lusitaniam pro-
 fecturus per Etruriæ Ducatum iter in-
 stituerat, ibidem ineunte anno sequenti
 Ferdinandi Ducis jussu Florentiæ cap-
 tus Hispanorum potestati tradebatur,
 a quibus primo Neapolim abductus,
 necnon quæstioni subjectus, militari ju-
 dicio tanquam impostor per Urbis ple-
 teas a fello imponebatur, tonsaque bar-
 ba, ac capillitio in prætorii triremi re-
 mo alligatus aliquamdiu hæserat: po-
 stea in Hispaniam delatus, arcique in-
 clusus promeritas suæ fallaciæ, necnon
 rebellionis in Lusitania promotæ pec-
 nas dederat.

S. XL.